



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 19. Benedicti XIV. Papæ declaratio super matrimoniis Protestantium in
Hollandia & Belgio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

nominandis cognoscantur, ac ubique Ma-
 trimonii Defensor nominetur, qui co-
 ram legitimo Judice ac testibus Matrimo-
 nii valorem tueri sub juramento te-
 neatur, partes vero primum ad alias
 nuptias transire possint, si per primam
 & secundam Judicis sententiam matrimo-
 nium fuerit ceu nullum declaratum,
 nec a parte vel Defensore appellatum &c.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1741.

§. XIX.

*Ejusdem summi Pontificis declaratio
 super matrimoniis Protestan-
 tium in Hollandia &
 Belgio.*

Jam dudum inter Episcopos, Parochos,
 & Hollandiæ ac Belgii Missionarios
 gravis & ultro citroque agitata verteba-
 tur controversia, utrum in Fæderati Bel-
 gii locis matrimonia Hæretici cum Hæ-
 retica, vel Hæreticæ cum Catholico &
 vicissim inita, non servata Tridentini for-
 ma, valeant, necne? Ut ergo hæc quæ-
 stio tandem Sedis Apostolicæ judicio
 definiretur, Belgii ac Hollandiæ Epi-
 scopi ac præcipue Yprensis jam ad Cle-
 mentem XII. Papam supplices recurre-
 bant. Hic quoque de tota controversia
 pro rei gravitate cognoscendi negotium
 dedit Sacræ Congregationi Cardina-
 lium Concilii Tridentini Interpretum,
 D d 4 qui

Sæc. XVIII.

A. C. 1741.

qui exploratis aliorum hujus regionis
 Præsulum relationibus ac sententiis,
 consultisque præstantissimis Romane
 urbis Theologis rem summa, qua
 erat, maturitate discussert. Inter
 veniente autem hujus Pontificis obitu
 Benedictus XIV. Successor hoc nego-
 tium coram se a S. Congregatione
 decima tertia Maji examinari jussit,
 demum omnibus rationum momen-
 tibus hinc inde sedulo ponderatis velut
 tam pro his terris regulam ac norma
 die quarta Novembris declaravit ac be-
 tuit, I. Matrimonia in his Provinciis
 inter hæreticos hucusque contracta
 dein contrahenda, etsi forma Triden-
 tini non fuerit servata, si aliud non
 intervenit impedimentum, pro validis
 esse habenda, proin si ambo Conjuges
 vel eorum unus ad veram fidem con-
 vertatur, quin mutus consensus contra
 Parocho Catholico innovetur, illos e-
 dem vinculo teneri, & neutrum ad alia
 nuptias transire posse. II. Si vero
 Catholicus Hæreticum, vel Hæretica
 Catholicum duxerit, quamvis a sacris
 hoc connubio serio avertendi sint, si
 men tale matrimonium jam sit contra-
 ctum, vel contrahatur, pariter pro va-
 lido habendum esse, ita tamen, ut
 Catholica pars pro perpetrato scelere po-
 nitentiam agat, & hæreticum con-
 vertatur.

gem ad sinum Ecclesiæ pertrahere studeat. III. Idem tenendum esse circa ejusmodi matrimonia extra fines Domini Fæderatorum Ordinum vel Mosæ Trajectensis a militibus ad custodiendas arces, vulgo *Barrier-Städt*, destinatis contracta. IV. Conjugia in regionibus Principum Catholicorum contracta ab iis, qui in fæderato Belgio domicilium habent, vel in Hollandia ab iis, qui in Catholicis terris domicilium habent, pro validis vel nullis esse habenda juxta dispositionem juris communis.

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

§. XX.

Aliud ejusdem summi Pontificis decretum circa Matrimonia occulta.

Die decima septima dicti Mensis idem summus Pontifex alios, eosque gravissimos abusus ex matrimoniis secretis ortos penitus eliminare conabatur: compertum enim habebat, apud quasdam gentes plus nimium invaluisse consuetudinem occulta matrimonia, conscientię vulgo nuncupata contrahendi, ubi nempe vel extra vel intra Ecclesiam januis tamen clausis, & sine præmissis denuntiationibus coram solo Parrocho & fidei duobus testibus, seclusis omnibus aliis, matrimonia celebrantur: inde autem persæpe evenisse, quod, cum

D d 5

præ-